

De THEOLOGIA.

17. 18. Phil. 1. 9. Col. 1. 6. 9. Prov. 1. & 2. &c. Matth. 28. 19. coll. cum Prov. 4. 2. Sin vero usum & distinctionem istorum in Peripatetica, & communi scholarū Philosophia spectēs, videretur dicenda *sapientia* quod ad theoriam de Deo, & *prudētia* quod ad praxin fidei, spei, caritatis, totiusq; cultus instituti. Quod autem eximius quis Theologus putat pro genere propriissimè assignari debere *doctrinā*, eo quod sit cognitio revelata & quæ à Deo doceatur: id nimis subtiliter quæsitum, & consequenter minus solidum, mihi videtur. *Primo*, quia pari immo majori jure *μάθησις* & *μαθήματα*, h. e. *discētia*, Hebr. *קַרְבָּן* dici possit; quia discitur & à Deo recipitur. *αὐτῶν* scil. *μαθητῶν οὐτῶν* (Math. 28. 19.) per doctores *θεοπαιδευσις* tum viva voce tum scripto. Sunt enim relata doctrina, & discētia, sicuti Doctor & discipulus. *Secundo*, quia non minus propriè *disciplina* græcè *παιδεία* & *μαθήσις* dici posset, vocabulo & philosophis communiter, & scripturæ usitato: ubi etiam Christiani primum dicti sunt discipuli Act. 11. 26. *Tertio*, quia vox *doctrina*, ut & *explicationis*, ab actu aliquo docentis, quamcunq; cognitionem aut scientiā denominat & omni tū theoreticæ tū practicæ, tū naturali tū supernaturali communis est ex usu Script. & Philosophiæ. Certè si velimus *ἀκριβολογῆσαι* putamus vocem *doctrinæ*, non magis definite indicare theologiā esse *theodidachm* aut *theodidakton*, quā esse & haberi eā ex institutione hominū juxta Rom. 10. 14. Matth. 28. 19, 20. Est enim vox hæc utriq; institutioni communis. Iam vero institutio seu doctrina quæ fit per homines, non est Theologiæ essentialis, & consequenter non deberet pro genere assignari: quia posset quis extraordinariò habere Theologiam Christianam absque tali institutione.